



Kem 3488 C 1-127

545



DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
METASTASI,  
IN PRIMIS LACTEA.

---

QVAM  
CONSENSU  
FACVLTATIS ILLVSTRIS MEDICAE  
IN REGIA FRIDERICIANA,

PRAESIDE  
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO  
**JOANN. CHRIST. REIL**

MEDICINAE AC CHIR. DOCT. ET PROFESS.  
THERAPIAE P. O., SCHOLÆ CLINICÆ DIRECTORE  
ET CIVITATIS HALENSIS PHYSICO,

PRO  
SVMMIS IN ARTE MEDICA  
HONORIBVS  
RITE IMPETRANDIS,  
DIE XII. MARTII MDCCXCII.

DEFENDET  
AVCTOR  
**ISAAC JOSEPH,**  
HALENSIS.

---

HALAE,  
TYPIS IO. CHRISTIAN. HENDELIL.

DISSERTATIO LIVIANI MARIUS DUCENS

D. A.

ДЕСЯТЬМ  
И ПРИМЕРЫ

СОВОКРЫТИЯ  
ДЛЯ УЧЕНИКА  
ИЗУЧАЮЩЕГО  
ГИГИЕНУ И ОБЩЕСТВЕННУЮ  
ЗДРАВООХРАНЕНИЕ  
ПОД РЕДАКЦИЕЙ  
ДР. А. МАРТИН МЕДИЧИ  
САНКТ-ПЕТЕРБУРГ  
1850

PRO  
SUMMIS IN ARTE MEDICA  
НОНОЛЯВАС  
ТИТУЛАХАНДИС  
ДР. А. МАРТИН МЕДИЧИ  
ДЕРЕЖАДА  
АВТОРОВ  
ИЗАДАС  
СОБР.

ДЕРЖАВНАЯ



V I R O  
MVLTIS MERITIS CONSPICVO,  
D O M I N O  
LIEPMANNO MEYER,  
NEGOTIORVM AVLICORVM  
CVRATORI INTEGERRIMO  
HANC OPELLAM  
IN GRATI AC BENEFICIORVM  
MEMORIS ANIMI TESSERAM

D. D. D.

A V C T O R.

A I R O

MATIS MERRITI CONSPECTACO

D O M I N O

LTHIMANNI MEYER

INCOTORVM ALIOCORA

CARTOLI INTRODUCENTIA

HABITUS

IN GLORIA DE BENEGLIOVAN

ALLEGORICA PICTA

D A D A

B O S E V A

I.

**V**ox *metastasis* apud veteres aliud significavit, ac apud nos. Ex Aph. V, 7. collato cum Aph. II, 45. patet, HIPPOCRATEM nil aliud intellexisse sua metastasi, quam transitum unius morbi in alium, aut finem quemcunque morbi. Sic quoque (Aph. V, 15.) pleuritidis transitum in phthisin vocat idem auctor *μεταστάσις*.

Hanc vero *metastasin* dividi apud veteres tali ratione, mihi est persuasum:

1) *κατ' ἐπιγενεσίν*, si uterque morbus persistit. Est *successio* recentiorum: *permutatio LORRYI: diadoche DANIELIS.*

2) *κατὰ μεταπτωσιν*, si, altero morbo evanescente, alter succedit.

a) *αναδρομή*: ab externis ad interna, ab inferioribus ad superiora, ab ignobilioribus ad nobiliora.

b) *διαδοχη*.

A

aa)

aa) κατ' ἐκρουν, κατ' ἐκρισιν. *Crisis.*

bb) κατ' ἀποθεσιν. *Abscessus materialis auctorum.*

## II.

*Διαδοχη* itaque κατ' ἀποθεσιν vocabatur apud veteres id, quod recentiores appellant *metaftasīn*. Vocabatur haec quoque ἀποσηψις<sup>a)</sup> vel ἀποσατις. Haec ultima vox antiquissimis temporibus synonyma fuit metaftaseos κατ' ἐπιγενεσιν. Frequenter enim occurrit apud **HIPPOCRATEM**, adiunctis verbis οἴων ἐστία μεταβολη<sup>b)</sup>: sic, ut unum prae certis locum adducam (Epid. lib. I. sect. II. pag. 28. F O E s.) dicitur febrium continuarum in quartanam transitus ἀποσατις. Deinde vero sensim evanuit hic ἀποσατεως significatus: de sola ἀποθεσι, aut metaftasi recentiorum usurpabatur: sicut innunera fere loca *Coacarum*

a) Α συνττω *irruo*, *incumbo*, quod de fulminibus irruentibus dicitur apud **HERODOT.** Polym. 246. §. Conf. Aph. VI, §6.

b) Hanc dictionem fecutus *Stephan.* *RODERICVS CASTRENSIS*, classicum opus consignavit: *Quae ex quibus. 12. Florent. 1627.* quod tam doctrinam de mutationibus morborum adeo docte simul et solide pertractat, ut a solo *LORRYO* vincatur,

*rum praenotionum, prognostici, aphorismo-  
rum monstrant.*

### III.

Nostris vero hominibus metastasis dicitur ea morbi permutatio, ubi a naturae viribus crisi molientibus materies morbifica ad locum alienum deponitur.<sup>c)</sup> Hinc patet, metastasin cogitari absque actione virium naturae non posse, debere quoque semper reduci metastasin ad criseos notionem. Est enim, ut cum D V R E T O<sup>d)</sup> loquar, consuetudo naturae aeterna, ut inchoatam excretionem in abscessus conver-  
tat.

### IV.

Sequitur ex antecedente paragrapho, id omne metastasin excitare, quidquid crisi impedire potest. Tali modo vidit HIPPOCRA-  
TES<sup>e)</sup> dysenteriam suppressam excipere ab-  
scessus.

Imbecillitas organorum, quae crisi promovere deberent, prima est conditio, quae metastasin producit: neque tamen debilitas  
A 2 haec

c) LORRY von den Veränderungen und Um-  
wandlungen der Krankheiten. S. 309.

d) Comment. in Coac. p. 497.

e) Coac. praenot. 462. Seß. II. p. 180. FORS.

haec excedere debet, ni mors aut gangraena sequatur: oportet, supersit semper conatus salutaris naturae, eliminandi materiam morbificam. Omne id rursus, quod vires naturae ad eum usque gradum debilitat, ut crisis nulla sequi possit, migrandae materiae per loca aliena occasionem praebet.<sup>f)</sup> In morbis diuturnis simul et nervosis, malignis, lymphaticis metastases frequentiores sunt crisibus. In his enim morbis vires naturae adeo jam labefactatae plerumque sunt, ut excretio benigna exspectari fere non possit. De morbis diuturnis est antiqua observatio **HIPPOTRATIS**<sup>g)</sup> et **CELSI<sup>h)</sup>**: de morbis malignis, nervosis et lymphaticis confirmant recentiores fere omnes, raro fieri excretiones plenarias salutares. Longe enim vehementius excitantur vires naturae, dum materies morbifica in sanguine et organis vitalibus residet, quam dum vel ipsi nervi πρωταδινοι afficiuntur, aut ubi sistema lymphaticum tantum patitur. Sic abscessus in vera febre lenta nervosa soli fere morbum iudicant.<sup>i)</sup> Praesagia abscessuum ad aures apud **HIPPOTRATEM** ad unum omnia fere redeunt ad symptomata nervosa, ad soporem

rem

f) LORRY l. c. p. 315.

g) Aph. IV, 32.

h) Lib. II, 5. p. 41. ed. TARG.

i) EURSER. Institut. med. pract. Tom. I. p. 278.

rein, convulsiones, surditatem <sup>k)</sup> etc. Metastases nusquam frequentiores observantur, quam in febribus castris, malignis, teste PRINGLIO, <sup>l)</sup> ACRELLIO <sup>m)</sup>, BALDINGERON <sup>n)</sup> aliisque.

## V.

Non nunquam vires adsum vegetae, neque tamen crisis producitur: hoc quidem fit vel ob perturbationem criticam, vel ob stritutram nimiam vasorum, quae evacuationi praesunt, vel ob materiei morbificae pertinaciam.

Si coctio a viribus naturae promota critica salutarem haudquam comitem aut persequam habet, sed potius sine ratione fistitur, et morbi facies subito immutatur, is status est, quem veteres dixerunt *perturbationem criticam*. Plerumque quidem hoc casu pernicies aegro imminet <sup>o)</sup>, non vero tamen depositio critica ad membra varia sequitur. Vires enim naturae, obstaculo vel artis vel hu-

mo-

k) Praedict. I. 166. 157. 162. 168.

l) On the diseas. of army P. III. Ch. VII. p. 283.

m) Comment. of the societ. of Edinb. T. I. P. IIIV.

n. 3.

n) SCHLEGEL disp. de metastasi. p. 3.

o) Prosp. ALPIN. de praestag. i. vit. et mort.  
Lib. VI. c. II. p. 409.

morum ipsorum impeditae, vegetam suam actionem perficere nequeunt: sufficient tamen, ut materies peccans a visceribus nobilioribus ad externas et ignobiliores partes propellatur.

Strictura vasorum meatum humorum profluentium impedit, hinc quoque crisibus perciundis obstat. Hinc in variis inflammationibus, praesertim, dum temperamentum choleericum aut melancholicum accedit, metastases haud adeo rarae sunt: de pneumoniis testantur praeter **HIPPOCRATEM p)**, **SWIETENIVS q)**, **HAENIVS<sup>r)</sup>** **WENDTIVS s)**: rheumatismos, quae a methodicis veteribus maxime ad stricturam referebantur, certum est, metastases frequentes facere.

Materiei morbificae acrimonia vel nimia pertinacia impedit, quominus organa excretoria officio suo rite fungi possint: hinc fiunt stases et irregularis humorum circuitus: et deinde metastases. Exemplo sint febres intermittentes, pertinaciores quartanae, quae in oedemata pedum aut in obstructiones variorum viscerum, ih-

p) Coac. praeonot. III. 395.

q) Commentar. in BOERHAAV. 888.

r) Rat. med. P. XIV. S. II. p. 57.

s) Diff. de pleuritide et peripneumonia. p. 31.

in primis lienis et hepatis, transeunt. **o** Huc quoque accedit ipsa febris flava Americana, quae abscessus formare amat. **u)**

### VI.

Deinde variae caussae occasioales numerandae hic veniunt, quae caussas istas modo nominatas excitare valent, velut *spasmī* variī, qui stricturam faciunt, unde parotides ex convolutionibus vident **HOLLERIVS.** **v)** Huc aeris et constitutionis subita vicissitudo, perfriegerium cum aestu in sequenti, **w)**: hunc praesertim exanthemata variī generis producere, antiqua est observatio. Diaeta quoque perverfa, quae diaphoresin nimiam prolicit, et medela eodem modo contra rationem instituta.

### VII.

In explicanda metastasum theoria primo notandum est, loci mutationem necessario requiri, ut idea metastaseos concipiatur. **x)** Ni-

fi

t) P. L. GMELIN de oedematibus ex febr. interm. oriundis. Tubing. 1762. KLEIN interpres clinicus. p. 95.

u) MOSELEY von den Krankheiten unter den Wendekreisen. p. 334.

v) In Ccac. præfrag. p. 28.

w) SYDENHAM. opp. T. I. p. 153.

x) MALVIEUX diss. de metastasi. p. 19.

si enim locus mutetur, non metastasis, sed *metaschematismus* aut permutatio morbi vocatur. Transitus pleuritidis in phthisin purulentam pulmonalem non est, nisi diadoche, aut permutatio morbi; sed dum phthisis renalis sequitur pneumoniam, vera est metastasis. Cicumque vero patet, tali ratione cum morbo symptomatico aut deuteropathico saepius concurrere metastasis: nisi quod in hac semper materiei morbificae vel migratio, vel nova in alieno loco generatio, in illo vero non nisi actio morbi in aliam partem transferatur. Dum convulsiones, aut epilepsia sequuntur statum verminosum, non negandum, materiam morbificam, quae antea in primas tantum ageret vias, jam in sistema irritabile et nervosum saevire: neque tamen est transpositio hic intelligenda, neque naturae viribus (§. 3.) excitatatur.

## VIII.

An in metastasi vera adsit *migratio* aut transpositio materiei morbificae, adhuc inter judices lis est. Olim quidem assumebatur humoris iam penitus praeparati migratio mechanica in aliena loca; fierique metastasis credebant cum GALENO<sup>y</sup> vel secundum gravitatem humorum, vel prout magis minusque sibi

y) Comment. in Epidem. lib. VI. sect. 3. p. 490.  
ed. Basil. fol. 1538.

sibi vicina sint viscera aut membra, vel prout functiones sibi respondeant. --- Simulac vero doctrina de viribus naturae variis, de circuitu humorum per vasa sanguifera, de vasis lymphaticis, ipsaque doctrina de morborum causis et phaenomenis ampliora caperet incrementa, totam hanc opinionem de ortu metastasium desertam cum alia commutarunt medici, qua novam denuo generationem materiae morbificae in novo loco assumerent, et, ad solam sympathiam nervosam respicientes, nisi ex commercio nervorum, non posse ullo modo explicari ortum metastasium concederent.

## IX.

Defensores quidem theoriae metastasium veteris non pauca habuerunt argumenta, quae pro ipsis militarent. Ab observatione vulgari proficiebantur, qua constat, humores ex sanguine secretos, ad unum fere omnes, in sanguine ipso pene perfectos contineri. Aquam enim et mucum, ipsum omnino lac, adipem, bilem quoque, et semen in sanguine oberrare, viderunt non pauci boni observatores, quos citavit magnus HALLER<sup>s. 2)</sup>. Hinc, tritam magis et faciliorem viam incidentes, concluserunt, quemlibet humorum per quodcumque colum separari posse. Vera omnino est

at-

z) Elem. physiol. T. II. lib. V. p. 14. 15.  
Lib. VII. p. 368. etc.

atque vulgaris satis observatio, aliam excretionem ab alia compensari, perspirabilem materiam ad alvum converti, salivam, urinam, lactis humorē per varia colatoria exire; quod quidem tum in statu physiologico, tum in pathologico contingit.

## X.

His quidem concessis, metastasis explicatu perquam facilis est. Dum enim humor in organo aliquo secernendus non rite separatur, causa quavis accidente, ad aliud colatorium faciliiori modo derivari potest. Nihil enim opus est, nisi ut accumuletur materies elementaris humoris secreti versus partem alienam, neque vera secretio assumi potest. Causa illa, quae ducit humores, a secretione impeditos, versus partem alienam, varia assumitur. Olim quidem contenti erant medici vel vicinia organorum membrorumque, vel occulto quodam inter utramque partem nexu, cui ulterius explanando operam non dederunt. GALENS quidem, sicut plura egregie atque omnino melius et coaevis suis et successoribus ad nostra usque tempora enunciavit, ad *communionem naturae organorum* respicere solebat, dum metastasium theoriae insudaret. Si distincte atque explicite hanc communionem naturae organorum exprimere volumus, nil erit, nisi harmonia virium, sive, quod eodem fere

fere redit, sympathia nervosa, nervorum commercio fundata: natura enim apud philosophum illum medicum nunquam alio sensu accipitur, quam complexus virium corporis fundamentalium.

Nuperi quidam crediderunt, maiori iure posse ad stimulum quendam consilia transferri, quo attraherentur humores versus partem alienam ab organo secretorio. Stimulum autem dixerunt quamvis causam, quae corporis vires excitet. <sup>a)</sup> Hoc stimulo admoto, ea elementa sanguinis, quae humores secretos constituunt, versus organum alienum attrahuntur, eoque modo in telam cellulofam aut in vasa excretoria fit effusio.

## XI.

Vt luculentior atque manifestior evadat haec theoria, exemplo illustrare placet. Fac, lactis secretio in mammis impediatur quavis demum causa. Cum in sanguinis massa oberreret sponte lactis humor, quid, quaequo, intellectu promptius, quam redundantis in massa humorum laticis depositio ad ea loca, quo stimulus applicatus trahit? --- Aut, dum pu-

ru-

a) Cf. CHRIST. GIRTANNERVM in Mémoire sur l'irritabilité. Journal de Physique P. XXXVII. Iuin. 1790. et GRENS Journal der Physik. B. III. Heft 2. S. 317.

ruditur, nonne eodem modo puris materies, in massa humorum obvia, aliorum deducta, iisdem phaenomenis metastaseos purulentae producendis par esse videtur?

## XII.

Hanc vero theoriam metastasium alii deferuerunt, cum doctrinae de omnimoda secretione sit superstructa, quam quidem toto, quam late patet apud HALLERVUM, sensu, assumere vetant multa eaque non minoris momenti argumenta. Nisi enim eodem modo, quem indicavit BLVMENBACHIVS, b) explicitur praesentia humorum, deinceps fecernendorum, in sanguinis massa, concipi neullo quidem modo potest, cur natura sapiens organa propria destinaverit secretioni peculiarium humorum. Sine ratione quidquam fieri, contradicit sapientiae summae; quia corpus humanum exstructum esse videtur. Forsan circulus ille perpetuus BLVMENBACHII, quo assumto, ope vasorum lymphaticorum ex ipsis organis secretoriis elementa quasi humorum fecernendorum continuo resorpta, sanguinis massae advehuntur, quae postea ex affinitatis aut assimilationis lege quadam eo faciliter iterum attrahuntur, et sanguinis particulas sibi maxime homogeneas secum rapiunt; --- forsan circulus hic melius explicat praesentiam ele-

b) Instit. physiol. §. 476. p. 372.

elementorum humorum secernendorum in ipsa sanguinis massa, quam ulla alia theoria. Huc accedit, eas observationes, quibus patere dicuntur humorum secretorum ante secretionem praesentia, alio omnino modo posse explicari. Namque quid impedit, quo minus, vel adfuisse tantum analogum humorem, vel extricata esse elementa, aut prima rudimenta humorum secretorum ex sanguine, credamus? Cum de lacte deinde sermonem habiturus sim, exemplum bilis hic tantum adducere placet. Si resinosa materies, lympha coagulabilis, cum alcali minerali et gelatinosa parte in sanguinis fluento, quadam proportione mixta, redundant, biliosa adest crasis humorum: neque tamen paratum iam fel unquam ex massa humorum in statu sano elici posse, nobis est persuasum. Redundare itaque videntur elementa aut partes constitutivae humorum secretorum in sanguine, non ipsi humores.

### XIII.

Cum praeter theoriam metastasum §. 10. propositam, alia omnino opus esset; ad reforbitionem secreti iam humoris ex organis secretoriis opere venarum, respexerunt alii viri, longam reddentes eamque fere incredibilem viam per totum sanguinis circulum, quam late patet. Reforbus itaque latex secretus, ad truncum venae cavae reductus, per eam et pul-

pulmones transmissus, naturam suam conservans, denique per ramos aortae in illam partem deponendus videbatur, ubi metastasis fieret. Vulgaris haec fuit, atque ab omnibus fere medicis recepta theoria, quam qui defenderunt, duas tantum, easque non levioris momenti obiectiones praeterviderunt. **Pri-ma** quidem est ea, quae redit ad velocitatem, qua metastases eius modi fiunt. Minuta saepius pauca praeterlabuntur, dum ex uno loco in alium deponitur materies morbifica: scimus autem ex calculis KEILLII et KRÜGERI, circulum sanguinis perfici intra sex minuta prima, secretiones vero requirere multo longius temporis intervallum. Fieri itaque nequit, ut secretio humoris, impedita in organo aliquo, possit restituī tam cito alia secretionē, si opercirculi sanguinis absolvi deberet metastasis. **Altera** obiectio petitur a longa denique via, quam perficiunt humores cum massa sanguinis mixti, et a summa difficultate, quam involvit conservatio naturae et indolis humorum. Fac enim, lactis secretionem impeditam esse: ortur mox tumor crurum lacteus, quem, si verum lac continere credas, oportet ortum duxisse ex lactis redundantia in massa humorum, quod, eandem indolem conservans, per pulmones, et per totum sanguinis circulum obrerrat, de integro denique secernitur in tela cellulari. Videntur quidem haec sensui communi contradicere atque sanioribus et physiologiae et pathologiae principiis.

XIV.



## XIV.

Quod cum animadverterent variis viris, novam sibi, eamque profecto faciliorum methodum effinxerunt, quae explicandis metastasis inserviret. In scenam duxerunt systema lymphaticum, cuius sane functiones tam late patere videntur, ut plura phaenomena et corporis sani et aegroti non mediocri lumine illustrentur. Primo quidem resorptionem ex organis secretoriis fieri non posse venis solis, patet, cognitis experimentis, quae ad illustrandum resorptionis officium instituebantur. Itaque illud negotium vasis lymphaticis summo iure tribuendum esse videtur. Deinde alia eaque facilior via complanatur vasis lymphaticis, ut circulus sanguinis evitetur. Forsan quoque brevius temporis intervallum assumi potest, si per vasa lymphatica sola fiat migratione materiei redundantis, quibus sine dubio haud adeo mutatur, quam dum in sanguinis circulum transit. Primus huic theoriae indagandae operam navavit E. DARWIN<sup>c)</sup> et mox eo assensu potitus est, quem a theoria tam aperta atque manifesta exspectare poterat. Namque brevius temporis intervallum, ipsaque in variis organis, quo deponitur materies pec-

c) Experiments, establishing a criterion between mucinous and purulent matter. 8. 1780. In der Sammlung für prakt. Aerzte. VI. B. II St. S. 254. 322.

peccans, conservata indoles eiusdem, melius possunt comprehendendi, si a circulo sanguinis discesseris, atque soli systemati lymphatico ea tribueris, quae alii de systemate sanguifero praedicant. Vnum tamen adest obstaculum, quod, toto ambitu adipisci systematis lymphatici imperium in metastases, vetat; quod quidem versatur in absentia arteriarum lymphaticarum, sive vasorum advehentium systematis lymphatici. Haec quidem statu fano omnino adesse, cum valvulis praeditum sit totum systema lymphaticum, non possunt: d) hinc itaque DARWINVS, in statu morboſo contingere motum retrogradum, ob summe relaxatas valvulas contendit. Cum tamen, praeter experimenta post mortem instituta, et praeter ratiocinia ex analogia, nihil adhibeat, quod probabilitatis aliqua specie ipsius opinionem confirmare possit, CRVIKSHANKIVM, et MASCAGNIVM sequi liceat, qui motum arteriosum aut retrogradum posse in vasis lymphaticis occurrere, negant atque perneggant.

PLATNERVS e) quoque eidem theoriae DARWINI favet, nisi quod eamdem amplius ex-

d) Quae huic sententiae contraria habet HEWS  
NIVS enquir. into the lymphat. syst. p. 94.,  
iam satis refutavit CRVIKSHANKIVS His-  
tory and descripton of the absorbent syst.  
Ch. 13. P. 112.

e) Zufüsse zu FABRES. Abhandl. aus der theor.  
A. W. S. 596. seq.

extendat et praesertim precario assumat arteriosum systema lymphaticum, quo fieri depositiones omnino facile concedere possumus, si modo observationibus manifestis effet evictum, arterias lymphaticas re vera in corpore humano existere. Cum praeterea PLATNERVS motum retrogradum, praeter systema lymphaticum, velit quoque adhibere ad circulum sanguinis Harveyanum, non possumus non huic theoriae valedicere, quippe quae non experientia, sed opinionum commentis superstructa esse videatur. In minimis vatis omnino fluxus quidam et refluxus humorum observatus est:<sup>f)</sup> neque tamen per totum systema ulla retrogressio est conspicua: neque analogica illa rationes ex valvula BAVHINI, faccis lacrimilibus etc. iure applicari posse videntur ad oeconomiam totius systematis lymphatici.

## XV.

Iam vero libere dicam, quid sentio, cum ingenue fassus fuerim, me praemissis quidem theoriis adhaerere non posse. In re tam ardua atque difficulti aphorismos paucos statuere placet:

- 1) Quanta est differentia inter morbum et inter sanitatem, tantum quoque discrimen intercedit secretionem naturalem et praeter-

nra-

f) WHYTT physiolog. essays. p. 123.

B



naturalem. Hic analogica ratiocinia parum aut nihil valent ad explicandam puris et metastasium productionem.

- 2) Organa naturalia secernunt ex elementis in massa humorum iam praesentibus humores: praeter naturalia vero **producunt** humores. Purulenta materies certo in sanguine non obvia est, sed revera producitur in propriis organis. Resorbtum per vasa lymphatica pus ex abscessibus massae humorum immiscetur, et denuo evanescit: alieno vero loco producitur nova puris materies.
- 3) Quaecunque species humorum non potest nisi in peculiari suo organo secerni, neque facilis illa substitutio unius organi pro altero neque secretio humoris unius in omnibus fere organis concipi potest. (§. 12.)
- 4) Humores secreti obtinent characterem organorum secernentium: hinc in statu fano absque organis secretio nulla cogitari potest. Hinc quoque productio humoris vitiati absque vitiato ac laeso organo concipi nequit.
- 5) Causa, quae metastases ab una parte ad aliam transfert, est sympathia nervosa, siue commercium inter nervos. Sicut enim antiquus ille auctor monuit, *confluxum unum, conpirationem unam, consentientia omnia*

*omnia esse*; g) ita quoque fatcamur, consensum nervosum per totum et universum corpus animale extendi, cum ubique sit ramificationibus nervorum pertextum. Neque alio modo fieri posse consensum, nisi nervorum connubio, credimus WHYTTIO,  
h) SENACO, i) Abr. BOERHAAVIO k)  
et TISSOTO l): maxime quoque in iis locis obtingere metastases, quae nervorum ope secum arctius nectuntur.

*N. GALENS* est auctor quadruplicis illius sympathiae, quam nostris temporibus *HALLERVS*, et immerito quidem, defendit. Cf. Comment. in *HIPP.* Epidem. lib. VI. sect. 4. p. 494.

6) Impedita itaque secretio aut productio humoris substituitur altera in alio organo, nervorum commercio cum priori nupto. Neque tamen vera migratio concipi potest, cum via desit, qua id fieri possit. Nil itaque superest, nisi nova productio materiei

B 2 mor-

- g) *De locis in homine: inter Hippocratis libros.* F.O.E.S. p. 80. Sect. IV.  
 h) *Physiolog. essays.* p. 326.  
 i) *Anatomie d' Heister.* p. 715.  
 k) *Imper. fac. N. 115.*  
 l) *Traité des nerfs et de leurs malad.* T. II. Ch. X.

morbificae, cui favet nervorum ataxia aut atonia in alterutro aut utroque organo. Hanc esse opinionem meam de metastasium ortu, ingenue fateor.

*N.* Si veterum monumentis pondus addere nostris opinionibus placet, ex Epidem. lib. II. sect. I. p. 78. f o e s. locum celebrem in nostram partem trahere possemus: *non fieri*, inquit auctor, *abcessus ob nem xum aut oppositum situm, sed ob communionem occultam.*

7) Praesertim vero ad metastases in singulis organis producendas confert debilitas partis, in quam delabuntur humores, aut atonia nervosa organorum, quae minus resistunt irruenti fluento. Hinc in juvenili corpore frequentiores metastases versus caput, in adiultiori versus pulmones, in provectioni versus abdomen contingunt. Cutis est fere imbecillima pars corporis, cum sapiens natura statuissest, ut materies peccantes ex universo fere corpore recipierenr superficie eiusdem. Verba *GALENI*<sup>m)</sup> transferre placet de eodem argumento: „Cutis, cum nullius functionis, sed usus duntaxat gratia sit exstructa, non abs re iis organis, quae functiones perficiunt, facta est imbecillior. Est enim veluti operculum quadratum, ac nativum animalis tegmen: quippe

<sup>m)</sup> De morbor. eauff. c. 6. p. 519.

„pe quae non coctionem, non cibi digestionem per corpus, non sanguinis generationem, non pulsum, non respirationem, „non motum voluntarium animali praebet: „et, ut summatim dicam, nullo penitus „munere fungitur. Praeterea, cum sit omnium partium extremum, haudquaquam „absurdum videri debet, quod universi corporis suscipiat recrementa.“ Hinc metastases ad cutim frequentius ceteris obtinunt: quod inde etiam lucis non parum obtinet, quod tela cellulosa fere sola sit cutis exstructa. Certum enim est, in telam cellulariem fieri frequentissimas depositiones.<sup>n)</sup>

## XVI.

Bonum aut malum augurium metastasium, differt pro ratione morbi, aegri constitutione, aere aegrum ambeunte, ceterisque rebus sex non naturalibus, variisque aliis circumstantiis.

*Locus* est primo considerandus. Metastasis enim ex parte nobiliori in ignobiliorum melior est illa, quae ex ignobiliori membro in organum vitale contingit. Oedema pedum solvit saepius hydrothoracem: at, cum ex oedemate hydrothorax sequitur, male habet aeger. --- Quo vicinior metastasis partibus vitalibus sit, eo magis ambigua esse videtur. Anceps omni

n) LORRY, von den Veränderungen und Umwandlungen der Krankheiten. S. 318.

omnino est metastasis versus parotides, cum caput et sensorium commune facilius in consensum trahantur. --- Metastases ab externis ad interna semper periculosae; bonae contra, si ab internis ad externa vertuntur. Angina periculosa, si tumor deficit in externis partibus; semper spem vero servare licet, dum modo tumor externus in collo sentitur.

## XVII.

Deinde vero respiciendum ad ipsam indolem metatasisum. Facilius enim iudicant abscessus, quam tumores aquei: facilis ii abscessus, qui mox in suppurationem transeunt, quam qui vel diu cruditatem retinent, vel boni puris loco ichorem stillant perniciosum. o) Nisi enim mox maturentur abscessus, diuturnum morbum fore, exspectandum. p) --- Mali praesertim abscessus, dum citra iudicationem quiescunt et dissipantur: q) mali, dum in certis colatoriis nulla coctionis vestigia apparent: r) e. g. in pneumoniis parotidum tumores boni, dum sputum simul signa coctionis bona ostendit.

## XVIII.

Aegri aetas et constitutio multum facit ad dignoscendas metastases. Frequentiores me-

o) Aph. IV. 51. Coac. 206.

p) Aph. IV. 32.

q) Praedict. I. 170.

r) Coac. 205. 207. Praedict. I. 114.

metastases versus superficiem corporis in junioribus subiectis, vegetior coctio, hinc quoque salubriores esse solent. In senibus vero saepius depositiones sunt ad interna viscera, minus coctionem patiuntur, et diuturniores esse solent.<sup>s)</sup> Aegri vires et constitutio saepius non sufficient ad tollendas metastases. Sic nota est observatio **HIPPOCRATIS**<sup>t)</sup>, Cratistonacti, qui ad Heraclium decumbebat, et Scymni fullonis filiae parotides suppuratas mortem attulisse et quidem sine dubio, ob nimiam evacuationem, quae vires exhauret.<sup>u)</sup>

### XIX.

Constitutio epidemica in metastases mire agit, dum morbos vel atactos vel regulares, vel criticos, vel acriticos reddit. Consentient **ACRELLIVS**<sup>v)</sup> et **BANGIVS**<sup>w)</sup>, saepe parotides bene suppuratas perniciem tamen attulisse, nisi naturae traditum fuerit negotium coquendi et evacuandi morbosam materiem, quorum libeat. Diarrhoeam purulentam excitavit, qua egregie solvebatur morbus; cum ex parotidis fuerit repressa materies.

### SECT.

s) Praedict. II. §1. Coac. 143.

t) Epidem. lib. I. sect II. p. 32. Foes.

u) LEPECQ DE LA CLOTURE Observat. sur les malad. epidem. p. 62.

v) Comment. of the Soc. of Edinb. T. I. S. 4. n. III.

w) Diar. nosocom. Hafn. T. I. p. 48.

## SECT. II.

## DE METASTASI LACTEA.

## XX.

Vt, quae de metastasibus generatim edidixi, praesertim ad lactis metastasin applicari possint, phaenomena et experimenta, quae observata et instituta nostro praecipue aevo sunt, breviter praemittam. --- Metastasis, quae dicitur lactea, sequi solet imprimis febrem lacteam, cuius symptomata et totam historiam quaeras apud auctores, qui peculiari instituto de eadem tractarunt.

## XXI.

Adeisse metastasin lacteam aut imminenter suspicantur, dum post partum, aut in graviditatis ultimis mensibus, aut nullum aut parcum duntaxat lac in mammis adest, dum febris cum vagis horroribus accedit, dolor et tumor partis alicuius sentitur, dum functio eius partis insigniter laeditur, atque pro ratione partis ipsius vel saeviora vel leuiora mala inde oriuntur.

Sic, dum ad cutim metastasis delabitur, sequuntur tumores frigidi, serosi, difficulter resolvendi, dum per aliquod tempus iam subfliterunt. Tum demum suppuratio non benigna, sed ichorosa sequitur aut aquosa: fistulae mali moris, ipseque saepius scirrus diuturnam malorum omnis generis catervam secum du-

cens.

cens. In mammis quidem hi tumores multo frequentius, quam in ceteris partibus accident, deinde in cruribus et femoribus, tum quoque in regione hypogastrica. Hic praesertim sedem habent vel intra cutim externam et telam adiposam, vel intra musculos abdominales et peritonaeum, vel in tela cellulari peritonaei, in ligamentis uteri latis, vel in ovariis. Raro figuntur in intestinis. Qui tumores si formari incipiunt, neque tactu, neque alio quodam signo dignosci possunt, nisi dolore pungente, tensivo abdominali, qui deinde ad partem quandam defigitur, et saepius speciem dolorum, locorum effluxum praesagientium, prae se ferre solet. Satellitio febris vel hecticae vel intermittentis incedit haec metastasis, saepius a practicis praetervisa, saepius itaque in lentam suppurationem transiens. <sup>x)</sup>

Rheumatici quoque dolores ad articulos, ut frangi rumpique ossa videantur, credantque podagra laborare, quod saepe tumor albus ad articulos se attollat. Iuuant pusculae lacteae. <sup>y)</sup> Saepius iuxta tractum vasorum cruralium dolor ischiaticus oritur, cum funiculi vasorum eorumdem tumescantia, progrediendi difficultate, oedemate pedum: hoc vel paucis tantum diebus vel post plures septimanas partum sequitur.

<sup>x)</sup> PVZOS von Milch-Versetzungen. In Samml. für pract. Aerzte. B. I. St. 1.

<sup>y)</sup> LORRY de morb. cutan. 384.

tur. <sup>a)</sup> Ab eadem causa quoque *exarthremia* <sup>a)</sup>  
sive subluxationem extremitatum inferiorum  
et *paronychiam* <sup>b)</sup> observarunt auctores fide  
digni.

Huc affectus crustosi lactei puerperarum,  
de quibus LORRYVS <sup>c)</sup> consulendus. Post  
febrim continuam tota cutis intumescit, et ri-  
gida sit, cellulis materie serosa repletis, phly-  
ctenae parvae efflorescunt, neque tamen mor-  
bum levant. Decrescente erysipelate, cutis  
rhagadibus et fissuris obtegitur et crustis levi-  
bus, noctu praesertim prurientibus, cutim val-  
de deturpantibus. Succedit saepius hydarthus,  
interdum macies cum tussicula, ipsaque phthisi.

Eruptiones herpeticae variae ex metastasi  
lactea vulgo derivantur. <sup>d)</sup> Phymata oriuntur  
post febrem lacteam, quarto aut quinto die,  
albida, pellucida, quae *vel* pruritu summe  
molesto conspicua sunt, a calore nimio plerum-  
que ortum trahunt, et denique desquamman-  
tur: *vel* malignitatis indolem afflumunt, icho-

ro-

<sup>a)</sup> SAVVAGES Nosol. method. T. II. p. 142.

<sup>b)</sup> Comm. Haarlem, VIII. 336.

<sup>c)</sup> CALLISEN syst. Chirurg. hodiern. T. I. p. 294.  
ed. 1788.

<sup>d)</sup> PVZOS l. c.

rosis abscessibus stipantur. Quodsi lochia fluunt, si abdomen mollitem servat et cutis madida manet, naturae fidendum, quae plerumque sanitatem infert. e) Dum labia, genas, oculos, mentum, genas pustulae obsident, suspicio syphiliticae indolis nonnunquam oritur; nocet tamen mercurius. f) --- Nonnunquam phlyctaenae eadem aut abscessus ex iis oriundi in carcinoma abeunt non periculosum, quod tenui victu, frequenti catharsi et cataplasmatibus emollientibus sanatum fuisse dicitur. g)

## XXII.

Si ad caput metastasis lactea oritur, sequuntur inde varia, eaque pessimae indolis mala. Huc apoplexia, quam praecedunt tinnitus aurium, convulsiones, subsultus tendinum, et lochiorum suppressio. h) Delirium, fatuitas, melancholia, perquam frequentes sunt sequelae metastaseos lacteae versus caput, plerumque insanabiles, nisi iusta instituatur methodus. Paraphrosyne levis, obscura, apoplexiae nonnunquam praecedit; hanc sequitur deinde, si sanata est, melancholia aut fatuitas. De his

prae-

e) RYZOS l. c.

f) LORRY l. c.

g) MOHRENHEIM Beobachtung. I T. S. 108.

h) LEVRET trait. des accouchem. p. 163. FR.  
VAN ROOYE de apoplexia lactea, L. B. 1771.

praesertim legendus **PVZOSIVS.**<sup>i)</sup> -- Amaurosis et glaucoma a collectione humoris albidi in camera oculi antica vel media non raro occurunt.<sup>k)</sup> Sic quoque paralyses <sup>l)</sup>: convulsiones et spasimi <sup>m)</sup>: imo tanta et sensorii communis et systematis irritabilis alienatio, ut hysteriam mentiatur.<sup>n)</sup>

## XXIII.

Si pectus afficitur, pleuritis nonnunquam oritur, citra sanguinis sputum: aut peripneumonia sputis pituitosis cruentis <sup>o)</sup>: asthma deinde pertinax et phthisis pulmonalis.

## XXIV.

Dum ad abdomen transit, diarrhoea oriatur serosa, lactea, quae interdum adeo abundant, ut libr. 30. ad. 40. uno die deiciantur.<sup>p)</sup>

N.

i) l. c. p. 74 — 86.

k) S. T. YVES des malad. des yeux p. 234. STÖRK ann. med. II. 172. SAVVAGES nosol. method. T. I. p. 729.

l) PVZOS l. c.

m) DAVID. Samml. für prakt. Aerzt. B. I. St. I. p. 126.

n) WEPFER observ. p. 72. PVZOS l. c.

o) DÉLEVRYE, in Samml. für prakt. Aerzte. B. I. St. I. S. 179.

p) STORCH von Weiberkrankheit. VI. 608.

*N.* Coeliacae similis haec diarrhoea intermissione notabili conspicua est. Matutino enim tempore faeces naturales, de die vero mucosa, purulenta, albida materies evacuantur. — Ex partium solidarum laxitate et mucositate humorum, praesertim intestinalium, plerumque derivatur, nonnunquam vero oritur ex vera suppuratione tunicae intestinalorum: sicut *S M E L L I V S* vidit, verum pus excerni. Ipsa vero lactei laticis migratio hic haud magis assumi potest, quam in coeliacae ceteris speciebus, ubi solus color lactis similitudinem habet, alioquin vero ex mucositate et inertia humorum intestinalium facilis patet explicatio.

Ascitem a lactis metastasi viderunt praeter *P V Z O S I V M*, *O B L O C H I V S* <sup>r)</sup> et *G A L L I*. <sup>s)</sup>

Praeterea ischuriā aut enuresin, uteri miros cruciatus infrequentes puerperium, ubi metastasis lactea divinabatur; deinde quoque uteri inflammationem cum meteorismo, fluxū lochiorum ichorosorum, serosorum non sublevante, delirio aliisque pessimis symptomatibus, viderunt non pauci.

### XXV.

q) *I. e.*

r) Medic. Beobacht. p. 185.

s) *Journal de Médec.* XXXIV. p. 283.

C

## XXV.

Sunt quidem haec phaenomena, quae committari solent morbum, quem Galli praesertim a depositione lactis non rite secreti in massam humorum atque in varia viscera, variasque partes corporis humani derivarunt. Argumenta, quae pro ipsis militare dixerunt auctores, hanc metastasis, tanquam causam malorum, modo nominatorum, considerari debere, praecipua haec sunt:

- 1) Lacteum laticem in corpore et gravidarum et puerperarum abundare, in gravidis quidem ad uterum trahi, ubi ad nutriendum infantem abhibeatur: in puerperio vero variis colatoriis excerni debere, nisi mala inde pessima oriantur. Ex sudoris odore acido, ex urinae lactea indole et turbulenta, ex albida crusta phlogistica sanguini e vena misso innatante, ex ptyalismo, ex diarrhoeis lac simulantibus concluderunt, verum lac abundare in humoribus. <sup>1)</sup>
- 2) Mitem quidem esse lacteum humorem, omnique acrimonia expertem, latere tamen in eodem acorem, qui denique iusto acrior evadere possit, dum stasis lac experiatur, aut

<sup>1)</sup> LE ROY prem. mém. sur les fievrs. aigues p. 202. sq. LEVRET l' art des accouchem. p. 147.

aut dum febris vehemens in ipsum  
agat. u)

3) Sectiones cadaverum luculenter monstrare  
dicuntur, verum lac in cellulosa stagnans,  
aut caseofam illius partem, non resolven-  
dam. Hanc toties inventam esse, quoties  
metastaseos lacteae in aegrotis suspicio esset.

## XXVI.

Nos vero, aliter sentientes, ea, quae  
supra monuimus, hic applicare studeamus.  
Migrationem veram raro aut fere nunquam  
contingere in materia, quae per metastasin de-  
ponitur, sed per sympathiam nervosam partis  
unius cum altera secretionem tantum alteram  
pro altera substitui contendimus. Produc-  
tur enim in altera parte nova materies, prio-  
ri analogia, saepe fere eadem; neque tamen  
transpositio stricte sic dicta assumi potest. Ita  
concipere nequimus, qui fieri possit, ut resorb-  
tum ex mammis lac per totam humorum massam  
transfigatur, et demum iterum deponatur in  
telam cellulosa. Nonne satius foret, argu-  
mentis, a lactei humoris cum lymphatico et  
seroso analogia desumptis, concludere, lymphaticum  
humorem proprius esse, qui hic quidem  
stagnet, quique, cum lacti analogus sit, pro

C 2                      lācte

u) Ira aliaque animi pathemata lac mire alterare  
valent. NARDI lāct. analys. p. 120.

lacte fuerit habitus a viris, non nisi sola inspectione contentis, quique chemica experimenta instituere neglexerunt.

## XXVII.

Huc accedunt argumenta sequentia:

1) Summa est similitudo inter lympham serofas et lac, quale in mammis est praeter puerperii tempora, succumque uteri. v) --- Vedit GABER w) serum sanguinis digestum exhibere altera nonnunquam die sedimentum albido lac simulans. Viderunt cum HEWSONIO et alii, corium sanguinis pleuriticum, et lympham coagulabilem veram lacti valde analogam esse.

2) LEAKIVS, HVLMIVS, HVNTERVS, KIRKLANDVS luce meridiana clarius viderunt, materiem lacti quidem simillimam, nil tamen esse nisi pus x) aut lympham serofas stagnantem. Hinc quoque, et iure quidem WHITIVS y) oedemata pedum in et post pu-

v) HALLER Element. physiol. T. VII. P. II. Lib. XXVIII. sect. I. p. 24.

w) Act. Taurinens. Vol. II. spec. II. p. 157.

x) SCHAEFFERS Versuche aus der theoret. A. W. p. 407.

y) Unterfuchung der Geschwülf bey Kindbettinnen an den untern Gliedmassen. 1785.

puerperium ex eodem fonte derivavit. Manifesto eiusmodi oedema pro metastasi habuit **P V Z O S I V S** <sup>z)</sup>

- 3) Lactis ubertas uon adeo insignis est in iis subiectis, quae metastases experiuntur, ut hae quidem inde ortum habere possint. Secretio enim chyli et lactis cum robore systematis nervosi et sanguiferi semper congruit: <sup>a)</sup> haec autem valde debilitata esse in puerperis, quis est, qui neget? --- Huc accedit, etiam lactantes metastasibus lactis esse obnoxias, <sup>b)</sup> quod fieri quidem non posset, si abundantia lactis metastases excitaret.

### XXVIII.

- 4) In feminis quoque extra puerperium, in vetulis, virginibus et ipsis viris depositiones eae visae sunt, quae summam similitudinem cum lac habent. In diarrhoea coeliaca verum lac non excerni, monstravit R. A. V O G E L <sup>c)</sup> cum tamen albida et chylofa materies saepius evacuetur. Vrinam phthisicorum saepe lacteam, praeter **R E G A M** <sup>d)</sup>,

bo-

<sup>z)</sup> l. c. p. 22.

<sup>a)</sup> Element. physiol. Lib. XXIV. p. 63.

<sup>b)</sup> Comment. Lips. Vol. XXII.

<sup>c)</sup> Diff. de fluxu coeliaco. Götting 1768.

<sup>d)</sup> Medend. method. p. 238.

observarunt et alii. SWIETENIVS e) refert exemplum tumoris in abdomen *iuvensis* inventi, qui continebat septem cum dimidia libras materiae albae, partim lacti, partim caseo similis. In muliere, quae nec puerpera erat, nec partui proxima, sed ex peripneumonia decesserat, sinistrum thoracis cavum replebatur fero, quod a pure admisto albicare libentius dixisses, si ulla puris hic fuissent indicia. Eodem albido humore turgebat quoque pericardium, neque tamen cor aut pericardium, hoc humore deterfo, erosum aut suppuratum apparuit. f) In puella octenni, ascite et anasarca laborante, bis paracentesi instituta, eduxit PERCIVALLIUS g) insignem copiam humoris lacti cum aqua mixto similis.

- 5) Tumores sic dicti lactei facile resolvuntur, testibus LEAKIO, PVZOSIO, SCHÄFFERO: si verum autem lac stagnaret, resolutio incassum tentaretur, cum caseosa pars lactis nec calore, nec humore solvatur. h)

## XXIX.

e) Comment. in Boerhaav. aphor. 75. T. I. p. 109.

f) MORGAGNI Epist. anat. med. XLV. p. 16.

g) Essays medical and experimental. p. 332.

h) SCHAEFFERS Versuche aus der theoret. A. W. p. 409.

## XXIX.

Omnia itaque phaenomena, quae ex lactis metastasi vulgo derivantur, eodem iure ad lymphae corruptae aut puris stasis possunt referri: imo maiori iure, cum plura argumenta eaque graviora militent pro hac quam pro illa opinione. --- Theoria febris puerperalis a metastasi eadem petita, ut hic a me ventiletur, superfluum erit, cum amplius in eodem laboraverint **BVRSERIVS** <sup>i)</sup> et **REILIVS**. <sup>k)</sup>

i) *Instit. med. pract.*, Vol. I. p. 519. seq.

k) *Memorab. clinic.* Fasc. II. p. 158—175.



WD18  
PICA



D

11



8

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
METASTASI,  
INPRIMIS LACTEA.

